



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro tertio Decretalium, In Quo De Obligationibus, Beneficiis, Aliisque Juribus Clericorum saecularium, & Regularium agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1676

Titulus XX. De Feudis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98275](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98275)

mutatum, quod est Simoniacum. Ratio discrimi-
nis est, quia priore casu, quando quis dat tempora-
le pro bono pacis, vel ex alia iusta causa, non cen-
setur spirituale emere pro temporali, quippe cum jam
ipsi in illo jus quæsitum sit: sed solum redimere vel
se vexationem, seu gravamen ipsi in iure spirituali
postea illatum, quod jam suum erat: at verò poste-
riore casu, censetur quis jus ipsum spirituale emere
pro temporali; quia nullum jus in ipso habuit: sed
de novo illud consequitur. Et hæc expositio est quo-
que probabilis.

XL I. Notandum secundò, *In cit. c. ult. h. t.*
per arbitrium non tam facta est transactio: quam po-
tius venditio perpetua juris decimandi, unde verifi-
mile est, illud arbitrium ortum fuisse ex conventio-
ne partium, & fundatum fuisse non in bono pacis,
& concordia: sed in permutatione unius rei pro alia,
scilicet rei spiritualis, cum temporali, ideòque à Papa
arbitrium irritum fuit declaratum, *Suar. cit. loc. n. 23.*
& consequenter etiam id, quod ex eo secutum est;
quia quando principale non tenet, nec accessorium,
tenet, *Gl. hic in notat.*

Notandum tertio. Cum jus percipiendi deci-

mas Clericales non possit commutari pro re tempo-
rali, multò minùs potest vendi, *Gl. hic V. Tempora-
lia*, quamvis ipsi fructus temporales possint vendi;
imò etiam licitum est facultatem, illos percipiendi ad
certum tempus concedere, seu locare, *c. 2. de locat.*
Quòd si jus decimarum legitimà auctoritate Super-
ioris absolute, & in perpetuum sit separatum à titu-
lo spirituali, tum non est prohibitum illud vendere,
cum tunc sit jus merè temporale, ut patet ex suprà
dictis.

XL II. Assertio 2. Res spiritualis (exceptis
Beneficiis, de quibus suprà) potest permutari pro alia
re spirituali, dummodo utraque sit res merè spiritua-
lis, cui scilicet nihil pretio æstimabile sit annexum,
ut docet *Gl. in c. Quam pio; 2. V. Pactio, caus. 1. q. 2.*
ubi ait, per verba illa generalia, *dummodo omnis pactio,
vel conventio cesset*, prohiberi inhonestas pactio-
nes, non autem honestas: per inhonestas autem intelli-
guntur illæ, per quas spirituale promittitur pro re
temporali obtinenda; & per honestas, quando spiri-
tuale pro spirituali promittitur, vel datur, talia enim
pacta nullibi in iure reperiuntur prohibita, *Suar.
Tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. c. 31. num. 20.*

TITVLVS XX.

DE FEUDIS.

Actum est in præcedentibus Titulis de contractibus, quibus dominium rerum
directum transfertur, videlicet de emptione ac venditione, & de permuta-
tione, nunc subicitur Titulus de Feudo; quia per contractum feudalem
utile dominium, seu jus utilitatis transfertur, ideòque etiam inter species
alienationis prohibita numeratur, sicut & Emphyteusis. Porro Feudum
vel à fœdere, vel potius à fide, seu fidelitate dictum, quam Vasallus sin-
gulariter Domino præstare debet: interdum accipitur pro ipsa re feudali,
quæ in Feudum conceditur, in præsentem verò potissimum sumitur pro ipso
Contractu feudali.

§. I.

Quid sit Feudum, & quotuplex?

I.

ASSERTIO I. Feudum sic describitur a-
pud *Jul. Clarum lib. 4. sent. §. Feudum, q. 4.*
Zasium in Epitome Feudali, par. 1. num. 3.
Rosenthal tract. de Feud. c. 1. concl. 3. Lessl.
l. 2. de iustit. c. 24. n. 5. Est benevola, li-
bera ac perpetua concessio rei immobilis, vel æqui-
pollentis, cum translatione utilis dominij, proprie-
tate retentâ, sub fidelitate, & exhibitione servitio-
rum, sive sub onere fidelitatis, & obsequij personalis
exhibendi. Dicitur primò, *Benevola & libera con-
cessio*, per quod distinguitur potissimum Feudum ab
Emphyteusi, in qua annua pensio realis, seu canon
solvitur: in puro Feudo verò solum obsequium per-
sonale domino exhibetur. Quamvis etiam in Feudo

interdum aliquid solvatur in recognitionem dominij
directi: sed tunc ex parte deficit à natura Feudi, &
accedit ad conditionem Emphyteusis, ut notat *Lessl.*
c. l. Additur perpetua concessio; quia quædam sunt
Feuda, quæ non perpetuò: sed ad certum tantum
tempus conceduntur, & propriè dicta Feuda non
sunt: sed à natura Feudi degenerant, *Zas. in Epit.*
Feud. par. 12. n. 4. & seqq. Dicitur secundò, *Rei im-
mobilis, vel æquivalentis*, nam res mobilis, v. g. pec-
unia separata, ac per se in Feudum dari non potest,
Lib. 2. Feudor. Tit. 1. §. Sciendum; à sensu contrario.
Ratio est, tum quia in rebus mobilibus dominium di-
rectum ab utili separari non potest, nec remanere pe-
nes dantem; nam res mobiles, vel usu consumun-
tur, & ita proprietas rei in Feudum datæ extinguere-
tur, quæ tamen penes dominum remanere debet: vel
si servarentur, nullam præstarent utilitatem, *Zasius*
c. l. p. 4. n. 21. Nomine autem rei immobilis veniunt,
non solum res soli, seu fundi, veludi prædium, ager,
Castrum: sed etiam quicquid solo, vel fundo cohæ-
ret,

ret, ut vineæ, arbores, *cit. §. Sciendum.* : imò & fructus pendentes, *Gl. ibid. V. Coherentes*, quia pars fundi censentur, *l. Fructus 44. ff. de rei vindic.* Item in Feudum dari possunt, quæ inter res immobiles computantur, ut servitutes debite fundo, jurisdictio, quæ Castro, vel oppido in Feudum concessio coheret, & alia jura incorporalia inherencia fundo in Feudum dato, ut jus pascendi, venandi, piscandi, &c. *Rosenth. de Feudis c. 4. concl. 3. 4. & 5.* Imò etiam annui redditus in Feudum dari possunt; quia inter immobilia recensentur, *Clem. unic. §. Cumque annui redditus, de V. S.* sive ex re immobili, sive ex negotiatione aliqua proveniant, modò sint redditus perpetui, aut diu duraturi, *Zaf. c. l. n. 9.* Dicitur tertiò, *Cum translatione utilis dominij, proprietate retentâ*, quia in Feudo proprietates, seu dominium directum fundi manet penes dominum Feudi, sive eum, qui rem in Feudum concedit, qui & Senior dicitur, *der Lehenherr.* Ususfructus verò, hoc est dominium utile rei transfertur in eum, qui Feudum accipit, qui, & Feudatarius, seu Vassallus appellatur, vulgò *der Lehenmann*, ut constat ex *lib. 2. Feud. Tit. 23. in fine*: ubi ususfructus non accipitur strictè pro servitute personali, quæ morte usufructuarij extinguitur, *§. Finitur, Instit. de usufruct.* sed pro jure utilitatis, quod etiam ad hæredes accipientis masculos: imò etiam ad fœminas (si de his nominatum sit dictum) in perpetuum pertinet, prout habetur *ibid.* Dicitur ultimò, *Sub onere fidelitatis, & obsequij personalis exhibendi*, nam in eum finem Feudum conceditur alicui, ut fidem, & obsequium, quasi compensationis vice domino retribuat, ut ex infra dicendis parebit.

II. Hinc colligitur primò. Quomodo differat Feudum à locatione, & Emphyteusi, à priore quidem differt, quia locatio fit ad tempus, Feudum conceditur in perpetuum: Feudum tribuit quasi dominium, utile scilicet: locatio non item, nec possessionem quidem saltem civilem: ab Emphyteusi verò distinguitur Feudum; quia in hoc debetur domino obsequium personale: in Emphyteusi verò pensio realis, sicut, & in locatione. Secundò, Feudum alienari non potest, sine consensu domini, Emphyteuta jus suum alteri donare, vel legare: imò, & vendere potest, requisito tamen prius domino. Tertiò, Feudatarius non cogitur domino obsequium præstare, nisi dominus exigit: Emphyteuta debet pensionem solvere tempore constituto, etiam si dominus non petat. Quartò, Feudatarius potest Feudum dimittere, sine domini voluntate, cum sit Beneficium: non item Emphyteuta, quia accepit, ut reddat rem meliorem. Quintò, in Feudo fœmina nequit succedere, nisi sit Feudum fœmineum, vel nisi id expresse pactum fuerit: in Emphyteusi potest succedere, *Azor. p. 3. lib. 10. c. 3. q. 3.*

Colligitur secundò. Quænam sint qualitates, seu proprietates de jure, vel consuetudine requisiæ ad Feudum propriè dictum, quæ ipso jure ei insunt: videlicet ut sit res immobilis, vel æquipollens: ut ejus dominium utile transeat in accipientem, directum verò maneat penes concedentem: ut ad masculos descendentes transeat, idque in perpetuum: ut fidelitas jurata præsteretur domino: ut ex illo servitium personale, & indeterminatum debeatur: ut gratis concedatur: ut sine consensu domini alienari non possit:

nec sine culpa Vassalli ei auferri, & similia, quæ plerumque ex definitione, seu descriptione Feudi elici possunt. *Rosenth. tract. de Feud. c. 2. concl. 52.* Porro ex prædictis conditionibus requisitis ad proprium Feudum, duæ tantum pertinent ad substantiam Feudi, videlicet, ut in Feudum detur res immobilis, vel quæ talis habeatur, & utis, qui rem in Feudum accipit, fidelitatem, & obsequium domino promittat, ac præstet, sive cum juramento: sive sine illo, & consequenter, ut dominium directum maneat penes dominum, & utile in Feudatarium transeat. Reliqua verò in Feudo sunt præternaturalia, ac veluti accidentalitæ, quæ salvâ Feudi substantiâ, per pactationes mutari possunt, *Azor. c. l. q. 2. Rosenth. c. l. c. 53.*

Colligitur tertiò, Feudum per emptionem acquisitum, sive à Vassallo, cum domini consensu, sive etiam ab ipso domino à principio sit emptum, degenerat quidem à natura Feudorum, quæ regulariter, & connaturaliter sunt gratuita, sive liberaliter concessa, adeoque hujusmodi Feudum non est proprium, seu strictè acceptum Feudum: in cæteris tamen propriam naturam Feudi retinet; quia non est de substantia Feudi, ut gratis concedatur, *Zafius in Epitome p. 12. num. 2. Rosenthal cit. c. 2. concl. 61.* Nec obstat, quòd Feudum, interveniente pecuniâ, concessum non videatur esse Beneficium, & consequenter neque Feudum: Nam quia res in Feudum data, etiam pro pecuniâ, tolet plerumque pretio multum præponderare, ideo à posteriore merito sumitur denominatio, ita, ut adhuc Beneficium dici possit, *Rosenth. tract. de Feud. c. 1. concl. 2. n. 7. & 8.*

III. Assertio 2. Prima, ac præcipua divisio Feudi est; quòd aliud sit antiquum, aliud novum: antiquum est, quod ab uno ex ascendentes, qui caput fuerat, ac parens communis agnationis, est acquisitum: & hoc etiam interdum Feudum paternum dicitur, si à patre, vel aliquo ascendente intra quartum gradum inclusivè sit acquisitum, quamvis antiquum, & paternum sæpe pro eodem lumantur, *Jul. Clar. §. Feudum, q. 8. num. 1.* Feudum novum est, quòd primò alicui acquisitum est, beneficio solius domini conferentis, & ab eo de novo ipsi conceditur, adeoque initium habet in persona investiti, nec ad eum ex alicujus successione pervenit, *Zafius in Epitome p. 2. n. 7. Clar. c. l.*

Dividitur secundò, Feudum in hereditarium, vulgò *Erblehen*, & gentilitium, sive ex pacto, & providentia, *Stammenschen*, & in mixtum ex utroque. Feudum hereditarium propriè dicitur, quòd alicui simpliciter & absolute concessum est pro se, & quibuscumque hæredibus: ad quod sufficit, ut quis sit hæres, adeoque tale Feudum transit ad quoscumque hæredes Vassalli, etiam extraneos. *Clar. c. l. m. 2.* Feudum ex pacto, & providentia dicitur, quòd est concessum alicui pro se, & filiis suis, seu liberis: nullatentâ mentione hæredum: & ad hoc ut aliquis succedat in tali Feudo, sufficit, quòd sit filius, vel descendens primo acquirente, etiam si non sit hæres illius, *Clar. cit. q. 9. n. 3. & alij communiter.* Feudum mixtum est, quòd neque simpliciter hereditarium est, neque simpliciter ex pacto, & providentia: sed participat de utroque, ut si alicui concessum sit Feudum pro se, & filiis, ac hæredibus suis, ad quod requiritur, ut is, qui in tali Feudo succedit, simul sit filius, & hæres, adeoque

que ut in eo jus sanguinis, sive agnationis, & jus hereditatis simul concurrant, *Clar. cit. q. 9. n. 4.* quamvis *Rosenth. cit. c. 2. concl. 49.* nullum Feudum mixtum agnoscat.

Dividitur tertio, Feudum in Ecclesiasticum, & Sæculare: Ecclesiasticum est, quod Ecclesia dat alteri, vel ipsa accipit ab alio: vel quod Clericus, ut Clericus, concedit. Feudum sæculare est, quod à secularibus datur, & accipitur, *Azor. cit. l. 10. c. 2. Rosenth. cit. c. 2. concl. 5.* Verum *Fagnan. in c. Verum, 7. n. 29. de foro comper. ex Abbate ait*, quod ad cognoscendum, utrum Feudum sit Ecclesiasticum, an Sæculare, attendenda sit prima causa concessionis Feudi: si enim Ecclesia teneat aliquid in Feudum à Principe sæculari tale Feudum dicitur sæculare, & si ipsa Ecclesia hujusmodi Feudum concedat alteri, non ideo ille dicitur Vassallus Ecclesiasticus, sed Sæcularis: & iurisdicção, quam habet Ecclesia in ipsum, vel in subditos Vassalli, non dicitur Ecclesiastica, sed Sæcularis; quia tunc cognoscit de Feudo, non tanquam Episcopus, vel Prælatus Ecclesiæ sed tanquam dominus Feudi: si autem Feudum, quod ab Ecclesia in alium etiam Laicum est translatum, originaliter & primò ab Ecclesia processit, nec ipsa Ecclesia in eo Feudo alium Superiorem cognoscit: tale Feudum si concedat Ecclesia alteri, censetur Feudum Ecclesiasticum, & iurisdicção etiam erit Ecclesiastica, & si appellandum sit, appellari debet ad Superiorem Ecclesiasticum, c. 3. §. *Debet de appell. in 6.*

Dividitur quarto, Feudum in masculinum, quod ad mares tantum transit, & femininum, quod ex speciali pacto, etiam feminis conceditur, saltem in defectum masculorum, quod vulgò *Weiber oder Rungel* & *then* appellatur, ut constat ex *Lib. 1. Feud. Tit. 8. §. F. l. 4. Azor. cit. l. 10. de Feud. c. 4. Zaf. c. l. p. 2. n. 7.* plures divisiones Feudi videri possunt auctores cit.

§. II.

Quanam res Ecclesia in Feudum dari possunt, vel non possunt?

IV. Assertio 1. Res sacra, Religiosa & spirituales, sicut alienari non possunt, ita nec in Feudum dari; quia hominum commercio sunt exempta, & in nullius bonis existunt, arg. l. *Pacta*, 72. §. *fin. & l. seq. ff. de contrab. empr.* Verumtamen si totum Castrum, cum omnibus pertinentiis, alicui in Feudum sit concessum, etiam jus Patronatus, quod dominus Feudi in Ecclesia illius Castri habuit, accessorie una cum illo, transit, c. *Ex Litteris*, 3. de *jure Patron.* quia multa in consequentiam permittuntur, quæ aliàs prohibentur, *Rosenth. tract. de Feud. c. 4. concl. 13.* quare Ecclesia, vel Monasterium per se in Feudum dari non potest, quamvis cum Universitate, v. g. Civitate, Opido vel Castro in Feudum dato, accessorie transire possit, *Rosenth. c. l. c. 14. n. 1. & in Scholii lit. A.*

V. Assertio 2. Res, seu bona Ecclesiæ, etsi non sacra, neque religiosa sint: sed bona temporalia, sive communia, ad Ecclesiæ Fabricam, vel ad Mensam Prælari spectantia, etiam si ab ipso Prælato de novo ex Ecclesiasticis redditibus ipsi Ecclesiæ sint acquisita, in Feudum de novo concedi non possunt à Prælato, sine consensu Capituli, auctoritate Superioris, & aliis requisitis solennitatibus, ut patet ex *Lib. 1. Feud. Tit. 6. Episcopum, Abbatem, &c.* Feudum dare non possit;

in princ. & ex communi docet *Zaf. cit. p. 5. n. 13. Rosenth. cit. c. 4. concl. 15. n. 2. Laym. in dis. Can. de alien. rer. Eccl. §. 5. de Feudo Tb. 92.* Ratio est, quia Feudum, sive Feudi concessio habet rationem alienationis, & quidem magis, quam Emphyteusis, ideoque difficilius in rebus Ecclesiasticis Prælato permittitur: partim quia Feudum magis ad naturam beneficii, ac donationis accedit, ut patet ex *Lib. 2. Feud. Tit. 23. Beneficium quid sit, & §. Inprimis*: donatio autem specialiter prohibita est Prælato, quippe non domino, sed administratori tantum rerum Ecclesiæ, c. 2. de *donat.* partim quia Feudum semè difficilius, aut tardius ad Ecclesiam revertitur, quam Emphyteusis: nam Feudum est jus alieno prædio in perpetuum fruendi, quod pro beneficio dominus dat, eâ lege, ut qui accipit, sibi fidem, & militie munus, aliudve servitium exhibeat, ut colligitur ex *Lib. 2. Feud. c. l. Laym. c. l.* Extenditur autem hoc etiam ad subinfeudationem, quod scilicet res, quas Ecclesia ab aliis in Feudum habet, sine adhibitis juris solennitatibus, subinfeudari non possint: quamvis Ecclesia in casibus licitis Feudum sibi concessum, non minùs, quam Laici, subinfeudare, sive illud alteri in Feudum dare possit, *Rosenth. cit. concl. 15. n. 5. Laym. c. l.*

VI. Ceterum quod dictum est, bona Ecclesiæ in Feudum concessa, non posse alienari, vel de novo concedi in Feudum, sine requisitis solennitatibus, id Limitari debet primò, quia potest Prælatus res jam ante in Feudum concedi solitas renovare, sive iterum in Feudum concedere sine consensu Capituli, & aliis juris solennitatibus, ut patet ex *Lib. 1. Feudor. Tit. 1. de his, qui Feudum dare possunt in princ.* ubi dicitur, Feudum dare possunt Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, &c. si antiquitus consuetudo eorum fuerit Feudum dare, *Jul. Clar. §. Feudum, q. 13. nu. 6.* ubi ait: hanc esse communem sententiam, *Rosenth. cit. c. 4. concl. 21. de quo plura infra.* Ratio est, quia talis infeudatio non censetur nova infeudatio, vel alienatio propriè dicta: sed potiùs antiquæ alienationis, & infeudationis quædam executio, dum jam olim decrecerum fuit tanquam Ecclesiæ utile, ut talia bona in Feudum concederentur, prout etiam supra dictum de Emphyteusi, *Tit. 18. n. 47.*

Limitatur secundo, quod bona Ecclesiæ, & quæ in Feudum concedi non solent, denuò infeudari possint, sine solennitatibus aliàs requisitis, si res sit modica, ut prædium; nam res parvæ etiam alienari possunt à Prælato, *Rosenth. cit. c. 4. conclus. 20.* aliquando tamen res Ecclesiastica, etiam servatis debitis solennitatibus, infeudari de novo non possunt, si eâ conditione Ecclesiæ datæ sint, ut non alienentur; *Rosenth. cit. c. 4. concl. 19.*

§. III.

In quibus casibus, Feudum antiquum ad Ecclesiam reversionem denuò in Feudum concedi potest, non obstante iuramento de non infeudando de novo res Ecclesiæ?

VII, De

VII. De his agit in c. Ex parte, 2. h. r. in quo Archiepiscopus Mediolanensis tria quaesivit ex Papa Innocentio III. Primò utrùm, si contingat Vasallum suae Ecclesiae decedere, ita, ut Feudum redeat ad Ecclesiam, & Archiepiscopum, liceat ipsi Feudum alij dare, sive de novo infeudare, non obstante juramento, quo est obstrictus, non infeudare de novo, inconsulto Romano Pontifice? Secundò, an si Vasallus Feudum alienavit (quod ab Ecclesia tenebat) ipse filius, vel consanguineus ejusdem Feudi consors possit in illo investiri? Tertiò, si Feudum alienatum sit, ita, ut Ecclesia, vel Archiepiscopus illud facile recuperare non possit, an licitum sit alicui Laico de novo in Feudum concedere: hac conditione, ut illud recuperet, & ab Ecclesia in Feudum recognoscat? Ad haec tria quaesita respondet Pontifex, in primo casu, Feudum decedentis liberè: si videatur expedire, ac licitè posse concedi alteri. In secundò casu, filium vel consanguineum alienantis investiendum esse. In tertio, posse Feudum alienatum licitè illi concedi, per quem ipsa Ecclesia illud valeat recuperare.

VIII. Pro intellectu hujus Cap. Notandum primò. Prælatus potest Feudum reversum ad Ecclesiam morte Vasalli decedentis sine masculis heredibus, iterum liberè (id est, suo arbitratu) & sine requisitis solennitatibus alteri concedere, & reinfeudare, si ita expedire ipsi visum fuerit, ut constat ex hoc cap. in primo Responso, & quidè non obstante juramento praestito de non alienando, vel non infeudando de novo, inconsulto Romano Pontifice; quia tale juramentum intelligitur, & refertur tantum ad bona pertinentia ad Mensam Ecclesiae, seu Prælati, id est, ad eas res, quantum dominium directum, & utile est penes Ecclesiam, & quae nunquam fuerunt infeudata: non autem ad res, vel bona feudataria, quae ab antiquo solita sunt dari in Feudum; haec enim, si revertantur ad Ecclesiam, etiam quoad dominium utile, potest Prælatus de novo infeudare, non obstante praedicto juramento, Abb. in cit. c. 2. n. 3. h. r. Rosenth. cit. c. 4. concl. 21. & 22.

IX. Porro quod dictum est, res infeudari solitas, & ad Ecclesiam reversas, sine solennitatibus adhibitis, reinfeudari posse: id Limitatur primò. Nisi bona illa infeudari solita, & reversa, Mensae Ecclesiae fuerint incorporata, tunc enim cessant esse feudalia; quia utile dominium consolidatur cum directo, adeoque sine consensu Capituli, & Superioris: imò & S. Pontificis, si Prælatus juravit, se, illo inconsulto, non alienaturum res Ecclesiae, reinfeudari non possunt, ut ex communi docet Rosenthal cit. c. 4. conclus. 33.

Limitatur secundò. Nisi mutato rerum statu, appareat jam non expedire Ecclesiae, ut res olim in Feudum dari solitae, de novo concedantur; quia v. g. Ecclesia, quae olim erat locuples, nunc valde inops facta est; tunc enim Prælatus Feudum apertum non potest alteri concedere: sed in Ecclesia ad inopiam redacta usum illud servare, ejusque Mensae applicari debet, ut colligitur ex cit. c. 2. ibi: Si Viderit expedire, h. r. ergo si non expediret, contrarium faciendum, Rosenthal cit. c. 4. conclus. 34. sed de hoc videri potest, quod dictum supra Tit. 18. n. 48.

Limitatur tertiò. Nisi sit specialis consuetudo

alicujus Ecclesiae, aut conventio inter Prælatum, & Capitulum, ut renovatio, seu reinfeudatio bonorum feudalium ad Ecclesiam reversorum non debeat fieri à Prælato, sine consensu Capituli; tum enim observanda foret, Rosenth. cit. c. 4. concl. 22. num. 4. Similiter si res feudalis reversa ad Ecclesiam communiter pertineat ad Prælatum, & Capitulum, reinfeudari non potest sine consensu Capituli, Rosenth. cit. c. 4. concl. 21. num. 2. Quando autem res Ecclesiae dicantur solitae in Feudum dari, ad hoc ut possint etiam sine solennitate iterum infeudari, & an ad hoc cogi possint, dictum est supra cit. Tit. 18. num. 47.

X. Notandum secundò. Potest Prælatus, & Vasallus Ecclesiae Feudum alienavit sine consensu Domini, idèque illud apertum, & reversum esse ad Ecclesiam, ejusdem Vasalli filio, vel consanguineo, vel ipsius consorti, id est, socio ejusdem Feudi de novo concedere, eumque in eo investire, prout respondit Innocent. III. in cit. c. 2. ad 2. Quaesitum, h. r. idè non obstante juramento de non infeudando, & sine requisitis aliis solennitatibus; quia non tam novum, quam antiquum Feudum, sive jam antea concessum confertur filio, vel agnato, Gl. in cit. c. 2. Inveslire. Verum quia propter alienationem Feudi à Patre, vel agnato sine licentia domini factam, filius, vel agnatus ipso facto amisit Feudum, illoque privatus fuit, idè opus fuit novà concessione, sive investitura in ipso filio, vel agnato, ut tradit Abb. in cit. c. 2. n. 5. h. r. Sicut autem Prælatus hoc casu posset illud Feudum apertum conferre alteri extraneo: ita etiam potest conferre denuò filio, vel consanguineo, non obstante delicto patris, vel agnati, quod non nocet filio, vel consanguineo in Feudo rursus consequendo, licet nocuerit in Feudo perdendo, Abb. c. l.

XI. Notandum tertiò. Si Feudum Ecclesiae, & delictum Vasalli: quia v. g. illud alienavit, sine consensu domini directi, ad Ecclesiam sit reversum, ita tamen, ut ab ipso Vasallo, vel altero, in quem ipse alienavit, facile recuperari non possit: hoc casu, Prælatus, etiam sine consensu Capituli, aliisque solennitatibus, & non obstante juramento de non infeudando, potest illud Feudum alicui potentiori Laico concedere, ut mediante illo Ecclesia Feudum alienatum recuperare possit, isque ab Ecclesia rem alienatam in Feudum recognoscat, prout respondit Pontifex in cit. c. 2. Ad casum seu Quaesitum 3. Abb. ibid. num. 5. num. ult. Rosenth. cit. c. 4. concl. 16. num. 2. Idque specialiter in favorem Ecclesiae constitutum fuit, nam alioquin aliam rem non feudalem Ecclesiae non potest Prælatus concedere in Feudum alicui potentiori, idè quod ab eo, qui illam occupavit, & possidet, recuperari non possit, nisi requisitae juris solennitates interveniant, ut docet Abb. in cit. c. 2. n. 5. Rosenth. cit. concl. 16. n. 1. & alij communiter. Ratio est, quia alioquin via aperiretur fraudibus, posset enim Prælatus permittere, ut res Ecclesiae occuparetur ab alio, & postea sub hoc praetextu illam concedere in Feudum loco consanguineo, vel amico, ut illam à possessore recuperet, Abb. c. l. Sed neque Feudum ad Ecclesiam reversum Prælatus potest alicui potentiori in Feudum concedere, ita ut Ecclesiae conditio deterior efficiatur, nisi necessitas urgeat, ut in casu supra allato, Rosenth. cit. dif. thes. 93.

XII. Sed jam hic quæri potest, an Capitulum Feuda, quæ aperta sunt, Sede vacante, reinfundare, sive denuo in Feudum concedere possit: Respond. Si res Ecclesiæ infundari solita communiter spectet ad Episcopum, seu Prælatum, & Capitulum: tunc si reverfa sit ad Ecclesiæ, Capitulum, Sede vacante, illam denuo infundere poterit, *arg. c. un. De Sede vacante Et. in 6.* sicut etiam Capitulum; vacante Sede, de controversiis circa Feudum ortis cognoscere potest, ut docet *Io. Andr. Et Abb. in c. Verum; 7. n. 9. de foro compet. Et Laym. in cit. dist. de reb. Eccles. alien. thes. 94.* Respon. secundò. Si Capitulum bona habeat separata, ac divisa à mensa Prælati, & si solita fuerint infundari, postquam reversa sunt ad Capitulum, potest sive Sede vacante, sive non vacante, Capitulum, sine consensu Prælati, aliisque solemnitatibus, ea iterum in Feudum concedere, ut docet *Ridoan. tract. de reb. Eccles. non alian. q. 80. n. 5. Rosenth. cit. c. 4. concl. 26. n. 2.* non tamen potest Capitulum, spectato jure communi, res feudales, postquam aperta sunt, & mensæ Capitulari incorporatæ, sine solemnitatibus jure requisitis, ea de novo infundare, vel aliter alienare, *Laym. c. l.* Respond. tertio, non potest Capitulum Feuda, quæ ad solius Episcopi, sive Prælati mensam propriè spectant, si aperta ad Ecclesiæ redeant, eique incorporantur, vacante Sede, iterum infundare; tum quia in ijs iuribus, quæ Episcopo, seu Prælato jure speciali, & extraordinario competunt, non succedit Capitulum, Sede vacante: sed succedit tantum in administratione, & jurisdictione necessaria: non autem in voluntaria, & in ijs, quæ sunt liberalitatis, & gratiæ, cujusmodi est Feudum ad Ecclesiæ reversum de novo in Feudum concedere. Quare expectandum est, usque ad novi Episcopi, seu Prælati electionem, & confirmationem, *Laym. c. l.* quemadmodum etiam, si vacante Ecclesiæ lis in judicio mota sit circa Feudum ad solum Prælatum, spectans, ejus cognitio differri debet, donec Ecclesiæ novum Prælatum habuerit, ut tradit *Gl. recepta in cit. c. Verum; V. Quæstio mota de foro comp.*

§. IV.

An ob delictum Prælati, vel alterius Clerici beneficiarii, cui secundum leges Feudorum pœna privationis est decreta, Feudum amittat Ecclesia?

XIII. Assertio 1. Si sit Feudum patrimoniale, aut paternum, seu privatum, tunc Prælatus, vel Clericus delinquens, v. g. committens crimen parricidij, vel proditiõis eo privari potest, ac debet, perinde ut Laicus, ut docet *Innocent. in c. Verum; 7. nu. 2. de foro compet. Rosenth. c. 10. de feud. concl. 3. n. 1. & sumitur ex lib. 2. feud. tit. 40. de Capitulis, Corradi §. Item si Clericus, ibi, non solummodo persone, sed Ecclesiæ, nam Clericus, in Feudis æstimatur, ut Laicus, Laym. in cit. dist. de reb. Eccles. alien. thes. 95.*

XIV. Assertio 2. Si Prælatus, seu Rector Ecclesiæ Feudum habeat Ecclesiasticum, ratione Sedis ac dignitatis suæ, idque ad mensam solius Prælati pertineat, tunc ob delictum Prælati privatione dignum non amittit Feudum absolute Ecclesiæ; quia

delictum persona non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare, juxta *Reg. jur. 76. in 6.* eo tamen vivente, & quamdiu in administratione est Prælatus, quoad omnium fructuum perceptionem, Feudum redit ad dominum directum, etiam Laicum, iisque privatur Prælatus: Eo verò mortuo, vel depositio, dominium utile, sive fructus revertuntur ad Successorem in Prælatura, ut expressè habetur in *cit. §. Item, si Clericus, & docet Rosenth. cit. concl. 3. n. 3.* Quod si Feudum pertineat ad solum Capitulum, delictum Prælati ipsi non nocet: si verò pertineat communiter ad Prælatum, & Capitulum, tunc vel solus Prælatus deliquit, & hoc casu fructus amittuntur tantum secundum partem, quæ Prælato competit, ut ex communi docet *Alexand. de Nevo in c. Verum; 7. num. 16. de foro comp. Rosenth. cit. concl. 3. n. 2.* Nam quamvis, si causa seu jus commune pluribus sit indivisibile propter socium, qui damnari non potest, quia est innocens, etiam alter socius reus non sit damnandus: sed per accidens commodum referat, & immunitate gaudeat propter socium, *arg. l. Si is qui, 29. ff. de liberat. legat. ubi Bart. n. 1.* ait, quod socius incapax legati, vel hæreditatis, si cum alio bonorum societatem habeat, capax fiat, propter socium capacem: & Laicus in causa individua cum Clerico conveniri debet coram Judice Ecclesiastico, non Laico, ut docet *Gail. 1. observ. 37. n. 2.* Secus tamen est, si causa, vel res communis pluribus sit dividua, seu separabilis, ut in casu proposito, in quo fructus Feudi pertinentis communiter ad Prælatum, & Capitulum, dividuæ separari possunt, ita ut Episcopus, sive Prælatus reus, aut delinquens, parare fructuum sibi competente privetur: Capitulum verò innocenti sua pars fructuum salva maneat, *Laym. in cit. disput. thes. 95.* Vel non solus Prælatus (quod est alterum membrum distinctionis) delictum commisit: sed etiam Capitulum ejusdem delicti fuit particeps. Et tunc probabilius est, & æquius, ut Ecclesiæ Feudum non amittat, sed tantum delinquentes: tam Prælatus, quam Capitulares, dum vivunt, fructibus priventur, ita tamen, ut ijs amoris vel mortuis, Feudum, sive ejus fructus, & commoditates ad Ecclesiæ, & Successores Prælatos, & Capitulares revertantur, ut docet *Alexand. de Nevo, c. l. Abb. inc. 1. num. 14. Et 18. De dolo, Et contum.* ubi id tradit de Emphyteusi pertinente ad Ecclesiæ, quod illa non amittat dominium utile, ob non solum Canonem, *Rosenth. cit. conclus. 3. num. 4. Et 52. Laym. c. l.* Ratio est. Tum quia licet ab initio Feuda tali conditione & pacto potuerint concedi Ecclesijs, ut ob delictum Prælati, si illius etiam Capitulum fuerit particeps, Feudum omnino amittatur, id tamen nullibi jure expressum est: sed contrarium potius indicatum in *cit. Tit. 40. §. Item, si Clericus.* Tum quia Prælatus, & Capitulum non possunt communi consensu rem Ecclesiæ alienare expressè, nisi sub sit justa, & necessaria causa; ergo nec tacite scilicet delinquendo; nam prohibitus alienare in favorem tertij, ut in proposito, Ecclesiæ, nec delinquendo alienare potest, *Abb. c. l. n. 14. Rosenth. c. l.* Tum denique, quia per se durum est, ac nimis rigidum, & æquitati contrarium, ut Ecclesiæ privetur in perpetuum bonis suis feudalibus propter delictum personarum: cui bona Eccle-

Ecclesie non tantum ad usum & commodum Prælati, & Capituli: sed imprimis etiam ad DEI honorem, Ministrorum perpetuam sustentationem, ad reparandam Ecclesie fabricam, ornatum Altarium, & alimoniam pauperum sint donata: ideoque iniquum foret, si delictum Administratorum in præjudicium omnium prædictorum redundaret, *Abb. in cit. c. 1. n. 16. de dol. & cont. Rosenth. c. l.*

§ V.

De prohibita, & illicita, vel licita Feudi alienatione.

XV. Assertio 1. Generalis regula est in materia Feudorum, quod vasallus Feudum, sive novum, sive antiquum non potest alienare, sine consensu domini, alioquin alienatio invalida est, & ipse alienans Feudum perdit, prout statutum habetur in *Cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Lotharium lib. 2. tit. 52. & Cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Fridericum lib. 2. tit. 55. Zasius in Epit. p. 9. n. 3. Clarus §. feudum, qu. 31. nu. 1. Rosenth. tr. de feud. c. 9. concl. 1.* Idque sumitur etiam ex *c. 2. h. t.* quando dicitur, Feudum ad Ecclesiam revertum filio, vel consanguineo ejusdem Feudi conforti concedi posse, ergo supponitur ibi, filium fuisse ipso jure privatum Feudo propter alienationem patris, sine consensu domini, factam, & dubium tantum erat, utrum illud, non obstante delicto patris, filio possit de novo concedi, *Gl. ibid. V. Investire, & Abb. n. 5. & 9.* Ratio hujus prohibitionis est, quia vasallus alienando Feudum, sine consensu domini, videtur eum contemnere, *cap. un. §. fin. quæ fuit prima causa benefic. amitt. & c. lib. 2. tit. 24.* ideoque Feudum ad dominum proprietatis revertitur, exclusis filiis, & agnatis: dummodo alienatio à vasallo scienter sit facta, *§. Si vasallus Feudum, si de feud. defunct. content. l. 2. tit. 26. Clar. c. Rosenth. cit. c. 9. concl. 60.*

XVI. Assertio 2. nomine alienationis in materia feudali comprehenditur, & prohibetur, non tantum venditio; sed omnis contractus, & actus, per quem dominium, vel jus aliquod reale sive in re constitutum transfertur in alium, sine consensu domini, prout sumitur ex *cap. un. qualiter poter. olim feud. alien. l. 2. tit. 9. & cap. un. §. Similiter de lege Corradi l. 2. tit. 34. & cap. un. §. Præterea, de Capitulis Corradi l. 2. tit. 40. & cap. 1. de prohib. feud. alien. per Lothar. lib. 2. tit. 52. & cap. un. de prohib. feud. alien. per Frideric. l. 2. tit. 55. Mynsing. cent. 6. obs. 30.*

Hinc inferitur, quod vasallus non potest Feudum, sine consensu domini, alicui in testamento relinquare, hæredem in eo instituendo; nec legare, nec donare inter vivos, vel mortis causâ, nec per mutare: nec dare Feudum in Emphyteusim, nec locare ad longum tempus, vel ulterius. Sed neque Feudum à vasallo in dotem dari potest feminæ, adeo ut nec pater quidem vasallus filie Feudum in dotem dare possit, quia in *cap. un. §. Donare lib. 2. tit. 9. qualiter olim poter. feud. alien. absolute negatur Feudum filie in dotem dari posse, Clar. §. Feudum; q. 36. Rosenth. c. 9. concl. 8.* quia talis datio est quedam alienatio, cum dos apud patrem non maneat: sed ejus dominium,

vel saltem possessio naturalis in maritum transferatur. Aliud est, si ipsa mulier habeat proprium Feudum, id enim marito in dotem dare potest, sine consensu domini, & sic se ipsam dotare: licet tutius sit, requirere consensum domini; nam in hoc casu uxor non censetur Feudum alienare, quia dominium utile, & civilem possessionem fundi dotalis ipsa retinet, & isque soluto matrimonio ad eam revertitur, ipsique marito tantum datur, ut durante matrimonio fructus, & utilitatem inde percipiat, ad familiam, ipsamque uxorem alendam, *Rosenth. cit. c. 9. concl. 9. num. 10.* Denique nec opignorare vasallus potest rem feudalem sine consensu domini, ut constat ex *c. unic. §. ult. in fin. de investit. de re alien. facta, & cap. unic. de prohib. feud. alien. per Frideric. Clarus §. Feudum; quæst. 35.* Quare in generali bonorum omnium hypotheca, seu obligatione, sive expressa, sive tacita, non continentur bona feudalia, etiamsi non fuerint specialiter excepta, *Clar. cit. §. quæst. 31. nu. 10. Rosenth. c. 9. concl. 13.*

XVII. Assertio 3. Potest tamen vasallus licet, & validè alienare Feudum cum consensu domini, ut habetur in *c. unic. §. Esi Clientulus de alien. feud. l. 1. tit. 13. & in c. unic. §. Similiter de lege Corradi l. 2. tit. 34. & in cap. unic. de prohib. feud. alien. per Lothar. & in cap. unic. de prohib. feud. alien. per Frideric. Rosenth. cit. c. 9. concl. 28. & alij: idque sive dominus Feudi expressè consenserit, sive tacite, quia alienationi præsens non contradixit, *Rosenth. cit. c. 9. concl. 28. n. 3.**

XVIII. Assertio 4. Potest vasallus in Feudo, quod habet, alterum subinfeudare, etiam sine consensu domini, ut constat ex *c. unic. §. Si vero in princ. qualiter etiam poter. feud. alien. l. 2. tit. 9. cap. unic. §. Similiter de lege Corradi l. 2. tit. 34. & Sed etiam res, per quos fiat investit. l. 2. tit. 3. cap. unic. §. Beneficium, si de Feudo defuncti contentio l. 2. tit. 26. Clar. §. Feudum; quæst. 32. num. 1.* Ratio est, quia vasallus prior manet nihilominus in solidum obligatus domino suo, & subvasallus saltem mediatè servire cogitur domino superiori, ex mandato subinfeudantis, qui ipsum ad id cogere potest, & sic nihil, vel parum decedit domino superiori, *Rosenth. cit. c. 9. concl. 43. num. 1. & 2.* Requiritur tamen, ut subinfeudatio fiat alteri, qui sit ejusdem conditionis, & qualitatibus, cujus & ipse vasallus subinfeudans, & saltem non inferioris, ut si is miles sit, & subvasallus sit miles, *c. un. §. Similiter de lege Corradi; & ut fiat ejusdem pactis, & conditionibus, sub quibus subinfeudans Feudum à Domino accepit. Rosenth. cit. c. 9. concl. 44. num. 3. & 4.* Est autem subinfeudatio permixta, non tantum in Feudo seculari: sed etiam Ecclesiastico, *Clar. cit. q. 32. n. 2.* ubi tamen *n. 3.* excipit Feudum decimarum, in quibus Laicus canonicè investitus ab Ecclesia alium Laicum subinfeudare non potest, etiam cum consensu Episcopi, quia Laici decimas

non sine periculo animæ, detinent.

§. VI.

An, si dominus à vasallo accipiat Feudum in pignus, teneatur fructus computare in sortem, nec ne?

XIX. Respondetur, si quis habens ab Ecclesia possessiones, seu bona in Feudum, accepta mutuâ pecuniâ ab eadem, possessiones illas eidem Ecclesie oppignoret, non tenetur Episcopus ejusdem Ecclesie fructus illius pignoris computare in sortem, seu summam Capitalem mutuâ datam, dummodò vasallus interim liberetur à præstando servitio, quod illas Ecclesie deberet, prout statuitur in *c. Ex insinuatione* 1. h. t. Nam cum Episcopus Mariensis cuiusdam vasallo suæ Ecclesie pecunias mutuâ dedisset, ipse debitor vicissim possessiones quasdam, quas ab Ecclesia Mariensi in Feudum acceperat, pignoris nomine dedit, & obligavit ipsi Episcopo: Unde quaesitum fuit, utrum Episcopus fructus perceptos ex illo Feudo teneatur computare in sortem, hoc est diminutionem pecuniæ mutuâ datæ? Respondit Innocentius III. quod Episcopus licet potest detinere Gageriam (id est, Feudum in pignus datum) fructibus in sortem non computatis, ita tamen, ut interea temporis, quo Ecclesia fructus ex Feudo in pignus accepto percipit (adeoque domini nec mutuum fuerit solutum) prædictus vasallus Ecclesie à servitio, ratione Feudi, Ecclesie, ipsique Episcopo præstando sit immunis. Ratio decisionis hæc communiter dari solet, quia cum dominium directum ab initio semper remanserit penes dominum proprietatis, si dominium utile ad eundem revertatur ex voluntate vasalli oppignorantis, consolidatur dominium utile cum proprietate, adeoque dominus non censetur fructus percipere ex re aliena, sed ex propria; cum enim vasallus interim liberetur ab obligatione exhibendi servitia domino, consequenter dissolvitur, vel saltem suspenditur obligatio inter eos contracta, & perinde est ac si res oppignorata non esset feudalitatis, & ita excusatur ab usuraria pravitare, *Abb. hic n. 5. & Imol. n. 7. & Fagnan. nu. 2. & 3.* Verum imprimis, ut notat *Covarr. lib. 3. resol. c. 1. n. 4.* per dationem pignoris non consolidatur dominium utile cum directo, id enim nullibi in jure est expressum: sed utile dominium adhuc manet penes debitorem vasallum, & ejus nomine fructus à creditore percipiuntur, in quem habentem dominium directum, solum transit jus detinendi in pignus dominium utile, quod non ut proprium, sed pignoris nomine detinet. Deinde licet hoc excusari possit ab usura, si fructus non excedant servitium, quia tunc fructus loco interesse retinentur: non autem excusari posse videtur, si fructus excedant servitia, & non computentur in sortem quoad excessum, *Zoesius in Comment. hic n. 5. & 6.*

Quare cum in hoc cap. generaliter dicatur fructus non esse computandos in sortem, sine distinctione, an fructus servitia excedant, vel non excedant: ideo ratio decisionis desumenda esse videtur ex natura, seu conditione Feudi, quæ est, ut fructus ex re oppignorata domino directo percipi debeant ab ipso vasallo,

Tomus III.

si præstet servitium: non autem, si non præstet, ut in casu hujus cap. Neque hic habetur ratio excessus fructuum, cum enim ab initio merè liberaliter ampliores fructus pro servitio sint dati, merito illi retineri possunt, si cesset servitium, *Zasius hic n. 6.*

XX. Notandum hic præterea primò, Licet *Gl. in cit. c. 1. v. Immunis*, h. t. dicat, quod ibi dicitur de non computandis fructibus in sortem, id statutum esse in favorem Ecclesie, ut eò citius Feudum ad Ecclesiam revertatur: verius tamen est, id procedere non tantum in Feudo Ecclesiastico: sed etiam sæculari, si nimirum dominus directus Laicus accipiat Feudum in pignus à vasallo: Si enim semel legitime concessum est Feudum, non debet ideo committi usura, ut Ecclesia citius recuperet Feudum, imò multò magis Ecclesia, & Clerici abstinere debent ab usura exercenda, propter scandalum, quàm Laici, ut notavit *Abb. in cit. c. 1. n. 5.* Quare vel hoc licitum est, vel illicitum: si illicitum, multò minùs debet concedi Clericis: quàm Laicis; cum usura in Clericis sit magis execranda, & multa licita sint Laicis, quæ Clericis sunt illicita. Si verò hoc licitum est in Feudo Ecclesiastico, multò magis debet esse licitum in Feudo sæculari: Neque enim hæc constitutio continet privilegium datum Ecclesie; quia cum usura sint prohibita jure naturali, & Divino, non potest lex positiva super illis privilegium dare, *Fagnan. in cit. c. 1. n. 4. & 6. h. t.* Est autem iste casus specialis, in quo creditor fructus ex pignore perceptos non tenetur computare in sortem, si nimirum Feudum, sive ab Ecclesia, sive à Laico concessum, pignoris nomine obligatum sit domino directo, prout idem habetur in *c. Conquestus* 8. de usuris, cum aliàs juris expressi sit, quod creditor pignus accipiens teneatur fructus ex eo perceptos in sortem conferre, prout patebit ex dicendis Tit. seq.

Notandum secundò, Si Feudum non sit gratis concessum: sed datâ pecuniâ, non potest id excusari ab usura, si non computentur fructus in sortem, sed retineantur fructus Feudi oppignorati. Similiter, si Feudum curâ, & industriâ vasalli melioratum sit, & fructuosius redditum, quàm fuerat tempore primæ investituræ, tunc æquitatis ratio suadet, ut dominus directus non lucretur integros fructus Feudi, dum illud pignoris loco detinet: sed eos tantum, qui ex Feudo percepti sunt, tempore, quo primum est concessum, excessus verò reliquorum fructuum ipsi vasallo cedere debet, *Causus in Comment. in c. 1. h. t. in fine, Zasius hic n. 7.*

Notandum tertio, quod in *cit. c. 1.* statuitur de domino directo recipiente Feudum in pignus à vasallo suo, idem probabiliter etiam locum habet in domino recipiente rem Emphyteuticam in pignus ab Emphyteuta, cui pecuniam mutuavit, quod scilicet non teneatur fructus ex re Emphyteutica perceptos computare in sortem, cum eadem militet ratio. Quare Constitutio *cit. c. 1. de Feudo* disponens, nō tam extenditur ad contractum Emphyteuticum, quàm hic in illa comprehenditur, cum Feudum, & Emphyteusis sint ejusdem naturæ, & quod decisum est, seu dispositum de Feudo, etiam locum habeat in Emphyteusi, si utrobique subsistat eadem ratio, nec contrarium sit in jure expressum, *Fagnan. in cit. c. 1. n. 7. & 2. seqq. h. t.* Videri potest Everhardus in locis arg. legal. in loco à Feudo ad Emphyteusin.

Q 9 2

§. VII

§. VIII.

An Clerici, Monachi, alique Regulares succedere possint in Feudis, vel ea acquirere?

XXI. Quæritur primò. An Clerici succedere possint in Feudis, vel ea acquirere? Resp. Clericus in Feudo, spectato Jure comuni feudali, regulariter non potest succedere, ut constat ex cap. un. *De feudo fæmine*, lib. 3. tit. 30. ubi dicitur, Clericum nullo modo in Feudo paterno debere succedere: imò etiam qui Clericus efficitur, hoc ipso Feudum, quod habet, amittit, cap. unic. §. *Qui Clericus*, si de Feudo defuncti contentio &c. l. 2. tit. 26. c. un. in fine *Anmutus*, vel alius imperfectus &c. l. 2. tit. 36. cujus ratio redditur in c. unic. *De vasallo milite*, qui eorum &c. eò quòd desijt esse miles sæculi, qui factus est miles Christi, nec Beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium. Et est sententia magis communis, teste *Mynsing. cent. 5. obs. 48. n. 4. Clarus §. Feudum*, q. 38. *Rosenth. c. 7. concl. 29.* Sed neq. in Feudis Ecclesiasticis succedere possunt Clerici, quia Jura feudalia in ijs etiam servantur, nisi aliud de ijs dispositum reperitur, *Rosenth. cit. concl. 29. nu. 16.* Neque verò dici potest, Clericum obtinere posse Feudum, si per substitutum servire domino suo velit, ac possit, c. unic. §. *firmiter de prohib. feud. alien. per Frideric.* Quia id solum procedit tunc, quando quis Feudum jure possidere, ac retinere potest: non item, cum Feudum penitus est amissum: At Clericus factus Feudum omnino amittit, *juxta cit. §. Qui Clericus*, quomodo ergo poterit servire domino per substitutum, & alioqui ferè semper Clerici Feudum obtinere possent, si per substitutum servire possent, cum tamen regulariter à Feudis excludantur, *Vult. lib. 1. de feud. c. 9. n. 67. Fach. lib. 7. controuv. c. 35.*

XXII. Sunt tamen plures casus excepti, in quibus Clerici etiam succedere possunt in Feudis, vel illa retinere. Veluti primò. Si ex prima institutione Feudum annexum sit dignitati Ecclesiastica, & sic accipiendus est Textus in cap. un. §. ult. *de Capit. Corrad. l. 2. tit. 40.* & colligitur ex c. *Transmissa*, 6. & c. *Verum* 7. *De foro compet.* quomodo in Germania Episcopi, Abbates, alique personæ Ecclesiasticæ passim Feuda majora, & Imperialia annexa dignitati suæ possidere videmus, ut notat *Fachin. cit. c. 34. in fine*, *Laym. l. 3. tr. 4. c. 24. n. 10.* Idemque dicendum, si id ita statuto introductum, vel consuetudine receptum sit, *Rosenth. c. 7. concl. 30. n. 25.* Et ita hodie ex generali Germaniæ consuetudine, Clericos, præsertim sæculares Feuda, quæ habent, retinere: imò etiam in ijs, si casus obtingat, succedere possunt, licet jure Feudali aliud cautum sit, ut refert *Vultei. cit. c. 9. n. 67. §. Primus est.* Secundò. Si Feudum sit francum, sive liberum ab omni obsequio præstando, quia tunc cessat ratio, ob quam Clerici non admittuntur ad Feuda, quia servitia militaria præstare non possunt, *Vultei. c. l. §. Secundus est*, *Laym. c. l.* Tertiò. Si servitium personale præstandum sit, sed tale, quod per Clericum honestè possit expediri, *Rosenth. cit. concl. 30. n. 24. Vult.*

c. l. §. Tertius. Quartò. Si tale sit Feudum, ex quo servitium non personale, sed reale tantum præstandum est, v.g. pensio pecuniaria: tunc enim cessat ratio, ob quam Clerici, & similes personæ Feudum retinere non possunt, quia servire nequeunt, *Rosenth. cit. 30. nu. 27. Vult. c. l. Laym. c. l.* ubi tamen rectè addit ex *Silvestri*, quòd Feuda, in quibus pensio realis solvitur, non sunt propria Feuda: sed magis ad naturam Emphyteusis accedant. Quintò. Si servitium militare quidem ratione Feudi debeatur, ita tamen, ut vasallo permissum sit per substitutum servire, *Rosenth. c. l. n. 20. Vult. c. l. §. Quartus.* Sextò. Si Feudum sit verè hereditarium, sive tale, quod ad quoscunq. hæredes transeat, *Rosenth. cit. concl. 30. n. 22.* indèque etiam Clericus admittitur ad Feudum fæmineum, quia Clericus & fæmina, quoad successionem Feudorum, eodem jure censentur, c. *non in fa. An mutus*, vel alius imperfectus &c. l. 2. tit. 36. *Novus est.* Septimò. Clerici Feuda possidere possunt, si quis sciens esse Clericos de novo eis Feuda concedat, *Rosenth. cit. concl. n. 27.* Octavò. Clerici in minoribus Ordinibus constituti, si non sint Beneficiarii, perinde ac Laici sunt capaces Feudi, idèoque etiam in ijs succedere possunt. *Clar. cit. q. 78. n. 5. & alij Dd. communiter.*

XXIII. Cæterum Jure Canonico, non solum Ecclesiis, & Monasterijs Feuda de novo concedi possunt, ut ex communi docet *Ros. de feud. c. 3. concl. 5.* sed etiam Clerici, & Religiosi Feudorum sunt capaces, unde Clericis patet, ex c. *Transmissa*, 6. & c. *seg. de foro compet.* & de Religiosis est expressum in c. un. §. *Verum de stat. reg. in 6.* & est communis sententia apud *Zalsum in Ep. p. 5. n. 71. Rosenth. cit. concl. 3.* Textus autè, qui in contrarium allegantur de Clericis ex Libris feudilibus, nò loquuntur de Clericis, qui de novo Feudum, postquam Clerici facti sunt, acquirere volunt; nam Feudum concedi ei, qui jam est Clericus, imputet sibi, quòd tali personæ Feudum concedat, quam scit per se servitia, ob quæ concedit, præstare nò posse. Sed loquuntur de his, qui cum Laici essent, & Feuda haberet, postea Clerici facti sunt, & cum se casus successionis offert, Clerici esse deprehenduntur, hoc enim casu ei, qui Feudum dederat, imputari non potest, quòd vasallus postea factus sit Clericus, *Vult. l. 1. de feud. c. 4. n. 9. §. nec obstat.* Sed quicquid sit de hoc, secundum SS. Canones Clerici, & Religiosi sunt capaces Feudorum. Quare consuetudines, seu leges feudales, quæ disponunt, ut personæ Ecclesiasticæ, non modo Feudum non acquirant, nec in eo succedant: sed etiam ut perdant, quod prius habebant, cum specificè disponant de rebus ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas pertinentibus, ratione utilis domini, non valent ob defectum potestatis, ut constat ex c. *quæ Ecclesiasticæ*, 8. *de Const.* Nulla enim Jurisdictio se potest extendere ultra limites: *l. ult. ff. de jurisd. & docet Fagn. in c. c. Quæ Ecclesiasticæ*, n. 52. *Laym. ibi d. n. 2.*

XXIV. Quæritur secundò. An Monasterium, seu Religio succedere possit in Feudum sui professi. Resp. primò. Si Religio sit incapax succedendi in communium non succedit in Feudum Monachi, seu Religiosi professi, quia per professionem amittitur Feudum, & vel ad agnatos, qui ad Feudum sunt vocati, devolvitur, vel ad dominum directum redit, *Axor. p. 3. lib. 10. de feud. q. 4. in fin. Sanch. l. 7. Moral. c. 15. n. 35.* Sicut nec in alia bona sui professi talis Religio succedit, idèoque dicendum de Feudis Coadjutorum formatorum in Societate Jesu, in quibus non succedunt, cum per vota

illa, et si simplicia, reddantur incapaces omnis successione bonorum temporalium, *Sanch. c. l.*

XXV. Resp. Secundò. Si Monasterium, vel Religio sit capax successione in bona, tunc in Feudum professi sui succedit, illudque ad Monasterium transit, modò Feudum sit francum, seu liberum à servitio, vel concessum sit cum onere talis servitij, quod Monasterium præstare possit; quia vel est reale, nimirum consistens in pecunia, vel alià re tradenda: vel si sit personale, honestè tamen ac decenter à Monasterio exhiberi possit: vel quamvis dedecet Monasterium, concessum tamen sit Feudum, cum facultate præstandi tale servitium per alium substitutum; vel si sit Feudum fœmineum, alioquin verò Feudum professi ad Monasterium non transit, sed ad proximos agnatos devolvitur, si Feudum sit antiquum, vel ad dominum redit, si nulli agnati, qui ex tenore investituræ vocantur, sint superstites. *Abb. in cit. c. In præsentia; 8. n. 69. de probat. Zasius in Epit. p. 3. num. 78. Aror cit. c. 12. de feud. q. 4. Less. l. 2. de just. c. 41. n. 84. Molin. tr. 2. de just. dist. 140. n. 15. Sanch. cit. c. 15. n. 36. & 46. eamque communem sententiam esse fatetur Clar. §. Feudum; q. 78. n. 1. ubi tamen n. 3. ait, sibi eam non placere, quia Religiosi à suo instituto abstrahuntur, cum non debeant se implicare secularibus negotijs. Sed hæc ratio ipsius solum probat de Feudis, quæ requirunt servitium saculare Religiosis indecorum & prohibitum. Eandem sententiam novissimè tenet Fagn. in cit. c. Quæ in Ecclesiis; n. 60. ubi n. 78. & 79. resolvit, de quodam Religioso ex Ordine Prædicatorum ad Episcopatum assumpto, quod postquam in Episcopum est consecratus, succedat Ecclesia, si Episcopatus in Feudo postea aperto, in quo successisset Monasterium, si Feudum apertum fuisset, ante assumptionem ejusdem Religiosi ad Episcopatum; quia servitium in investitura illius Feudi expressum, honestè à Religioso per se, vel per substitutum expediri, ac præstari potuit.*

Ratio ergo supradictæ assertionis est, quia cum Monasterium succedat in alia professi sui bona, non est, cur non etiam succedat in Feuda, modò servitium eis annexum non obstat, tunc enim cessat ratio, ob quam Religiosi excluduntur à Feudis, quæ est inhabilitas ad præstandum servitium annexum Feudo. Non obstat, quod in cap. unic. §. Qui Clericus si de Feudo defuncti contentio &c. l. 2. tit. 26. dicitur: qui Clericus efficitur, aut votum Religionis assumit, hoc ipso Feudum amittit. Idemque habetur in cap. un. in fine, de Feudo fœmineo, l. 2. tit. 30, nam illi textus intelligendi sunt de Feudo, quod Statui Religioso repugnat, eò quod illius servitium ab ipso Religioso repugnat, eò quod illius servitium ab ipso Religioso nec per se, nec per alium, si substitutum decenter præstari potest, *Sanch. c. l. n. 36. ubi n. 37. ait: tunc autem servitium personale annexum Feudo posse per alium exhiberi, si in eo non sit electa industria personæ, ut quia in Feudi concessione sit mentio hæredis.*

XXVI. Limitatur autem prædicta Assertio 1. quod Feudum Monachi, seu Religiosi professi transeat ad Monasterium, non ut perpetuò penes illud remaneat: sed solum ut commoditas, seu utilitas Feudi spectet ad Monasterium, quamdiù professus illius vivit: eo verò mortuo ad agnatos transit, vel ad dominum directum redit, *Clar. cit. quest. 78. num. 2. Lessius c. l. Aror cit. qu. 4. Mol. c. l. Sanch. c. l. num. 43.* Nec obstat, quod Monasterium loco filij habeatur;

nam non habetur loco filij naturalis: sed tantum filij civilis, qui in Feudis non succedit, *Zasius in Epist. p. 8. nu. 79. & 80.*

Limitatur secundò. Nisi Feudum habeat dignitatem annexam, ut Regni, Ducatus, Comitatus, tale enim Feudum non transit ad Monasterium, nec quoad commoditatem, post emissam professionem, *Clar. cit. quest. 78. n. 3.* Idemque etiam extendendum est ad Castra, & Oppida, quæ jurisdictionem annexam habent, *Mol. c. l. Sanch. c. l. nu. 42. quanquam Fagnan. c. l. n. 107. & alij apud ipsum teneant, quod hujusmodi Feuda non transeant quidem in perpetuum ad Ecclesiam, vel Monasterium, ita ut nunquam sint reversura ad dominum; juxta cap. unic. §. de alienat. Feud. l. 1. tit. 13. transeunt tamen quoad commoditatem utilis dominij, vivente Religioso.*

Limitatur tertio. Nisi Feudum in prima ipsius institutione habeat clausulam, ne ad Monasterium transeat, tunc id servandum est, *Mol. c. l. Sanch. c. l. num. 40.*

Limitatur quartò. Quod illud tantum Feudum transeat ad Monasterium, ad quod requiritur certum servitium: secus si incertum; quia tunc eligitur industria personæ: cum enim nihil determinatum exigatur, ipsius vasalli arbitrio id relinquatur, *Abb. in cit. c. In præsentia; n. 69. Sanch. c. l. n. 44.*

Limitatur quintò. Si Feudum datum sit pro se, & filijs, intelligitur enim datum pro veris filijs, idèque non transit ad Monasterium; quia hoc non est verus, & naturalis filius, & verba contrahentium strictè accipienda sunt, *Abb. c. l. nu. 71. Sanch. c. l. nu. 45. ubi tamen declarat, Feudum non transire post mortem vasalli in Monasterium, quamvis hoc Feudum retineat, durante ejus vitâ, & postea ad veros filios pertinebit; quia servitium potest per alium præstari, nec est electa industria personæ.*

XXVII. Notandum hic præterea primò hætenus dicta procedunt de Feudo ex pacto, & providentia, nam Feudum paternum simpliciter hereditarium, quod ad omnes hæredes transit, & est instar proprietatis, etiam in Monasterium, post mortem vasalli professi, in perpetuum transit, ut ex communi docet *Felin. in cit. c. In præsentia; 8. num. 48. de probat.*

Notandum secundò. Feudum proveniens ab Ecclesia Romana est Feudum Ecclesiasticum, idèque Jura Feudorum, quæ prohibent Clericos, & Monachos succedere in Feudo seculari concessio à Principibus secularibus, non extenduntur ad Feuda Ecclesiastica; quia Clerici, & Religiosi serviendo Ecclesijs, non desinunt esse milites Christi, & Ecclesiæ, cui adhuc possunt impendere servitia feudalia, secundum eorum qualitatem, & conditionem, *Fagn. c. l. n. 103. & 104.*

Notandum tertio. Et si Liber Feudorum sit authenticus, & allegari possit ad decisiones catusatum in materia feudali, & obliget etiam Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, ut ex communi docet *Clarus §. Feudum; q. 3. in fine, & consequenter etiam locum habeat in Feudis Ecclesiasticis: hoc autem solum procedit in illis juribus feudalibus, quæ generaliter loquuntur, hæc enim videntur approbata ab Ecclesijs, quando Canones non expresse contradicunt: secus autem est de illis juribus feudalibus, quæ nominatim, ac specificè de Ecclesijs, & earum personis, ac*

rebus disponunt in præjudicium illarum; talia enim jura, cum sint contra libertatem Ecclesiasticam, non valent, sed damnata sunt, & abolenda, arg. c. Cum terra; 14. de elect. ubi dicitur, consuetudinem, quæ tendit contra libertatem Ecclesiasticam, damnandam, & abolendam esse, nec vim privilegij habere, Abb. ibid. not. 2. & Canonista communiter. Quare cum jura

feudalia, quæ excludunt Clericos, & Monachos à successione in Feudis, non habeant auctoritatem legis, consequenter in hac re servandi sunt Canones, qui Clericos, & Monachos, seu Religiosos à Feudis non repellunt, Felin in cit. c. In presentia; n. 44. de probat. Fagn. in cit. c. Quæ in Ecclesiis de probat. n. 97. & pluribus seqq.

TITVLVS XXI.

DE PIGNORIBUS, ET ALIIS
CAUTIONIBVS.

Quia alienationibus, & contractibus, de quibus actum est in superioribus Titulis, cautiones quædam in securitatem conventionis, ac debiti, adijci solent, ideò de his tanquam accessoriis contractuum hoc loco agitur. Est autem cautio alia simplex, ut est nuda promissio, alia iuratoria, quæ est promissio cum iuramento: alia est cautio idonea, seu sufficiens, nempe quæ sit per pignora, aut fideiussores, quæ etiam satisfactio, seu satisfactio dicitur, ut ff. qui satisfacere coguntur. Verum nomine cautionum simpliciter prolato, neque pignus, neque fideiussio intelligitur, ut constat ex l. Sancimus; 3. C. de verb. & rer. signif. & notat Abb. ad Rubr. h. t. in quo potissimum agitur de cautione pignoratitia tantum.

§. I.

Quid sit pignus, & quomodo ab hypotheca differat, & quomplex sit hypotheca?

I.



Ignus dupliciter accipitur. Primò. Pro re, de qua inter debitorem, & creditorem convenit, ut sit pro debito obligata: sic dicitur pignus creditori traditum, pignus venditum, vel alienatum. Secundò. Pro ipso contractu pignoratitio, sive conventionione, quæ res obligationi subijcitur, Azor p. 3. Institit. lib. 7. tr. de pignorib. c. 1. q. 3.

Assertio 1. Pignus latè sumptum pro contractu, seu conventionione, est obligatio rei licitæ pro debito facta ad securitatem, scilicet creditoris, prout definitur ab Hostiens. in summ. n. 1. & Silvest. V. Pignus, in princ. quia tutius est pignori incumbere, quàm agere in personam, §. Furti autem; instit. de oblig. Quæ ex delicto &c. Dicitur autem rei licitæ, quia quædam sunt res, quæ pignori obligari non possunt, de quo infra. Vel ut describit Zafius in Comment. ff. de pignorib. num. 3. Pignus est contractus, quo creditori jus in re constituitur in securitatem debiti: nam finis pignoris est, ut creditoribus sit cautum super suo credito, illisque, si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit; quia tutius est habere sibi præter personam, etiam res obligatas, juxta l. Plus; 25. ff. de R. l. quam-

vis persona debitoris per dationem pignoris non haberetur à debito, sed obligata maneat, l. 1. C. h. t.

II. Assertio 2. Quamvis pignus, & hypotheca tantum nominis sono differant, ut dicitur in l. Ery §. S. Inter ff. h. t. propriè tamen, & strictè loquendo, inter se distinguuntur: nam pignus propriè locum habet in rebus, quæ manu traduntur creditoribus, ideòq; ferè in mobilibus rebus tantum locum habet, quæ plerumque creditori traduntur, unde à pigno appellatum est pignus, l. Plebs; 238. §. Pignus; ff. de V. S. At verò hypotheca consistit ferè tantum in rebus immobilibus, vel quæ non traduntur creditoribus, sed penes debitorem manent, obligatæ tamen creditori, adeòq; hypotheca nudà conventionione constituitur. §. Item serviana; Instit. de action. Azor tit. 1. q. 2. Quoad effectum tamen pignus, & hypotheca non differunt, cum per utrumque res sit obligata creditori in securitatem debiti: nam & per solam pignoris conventionem, etiam sine traditione, creditori acquiritur actio hypothecaria: seu jus rem sibi oppignoratam à quovis possessore petendi, si solutionem debiti sui consequi nequeat, cit. §. Item serviana; & vicissim debitor per actionem pignoratitiam pignus, soluto prius debito, utpote tunc sine causa penes creditorem existens repetere potest. Zafius ff. h. t. n. 2.

III. Assertio 3. Pignus, seu hypotheca conventionalis alia est tacita, alia expressa; Tacita est, quæ licet inter contrahentes de ea nihil sit conventum, tamen ex legis dispositione intelligitur contracta, seu constituta in quacunque conventionione in lege expressa. Unde aliqui pignus, seu hypothecam tacitam, distincte